

**Dissertatio philologico-theologica de choreis vetervm Hebraeorvm /  
[Valentin Roesler].**

**Contributors**

Roesler, Valentin, 1698-  
Zeltner, Gustav Georg, 1672-1738.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

Altorfii : Typis I. G. Kohlesii, [1726]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kwchnrud>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA  
*DE*  
CHOREIS VETERVM  
HEBRAEORVM  
QVAM  
PRAESENTE  
GVSTAVO GEORGIO ZELTNER  
D. P. P. ET P.  
PATRONO PRAECEPTORE STVDIORVM<sup>Q</sup>VE SVORVM  
AMPLIFICATORE MVLTIS NOMINIBVS AETERNUM DEVE-  
NERANDO  
D. DECEMBR. A. S. R. MDCCXXVI  
PLACIDAE COMMILITONVM DISQVISITIONI  
SVBIICIT  
AVCTOR RESPONSVRVS  
VALENTINVS ROESLER  
NORIMBERGENSIS.

---

ALTOFII

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

58700 (19)



## PRAEFATIO.

**P**erique homines ita comparati sunt, ut naturali quadam inclinatione in ea maxime propendeant, quae infucata sua suavitate externis sese sensibus commendare deprehenduntur. Hinc eadem etiam omnino digna esse existimant, quae omni animi contentione, speciosis nonnunquam rationibus adhibitis, defendant. Id quod, si ullo unquam in casu satis euidenter intelligimus, tum praeципue in hoc, ubi de Choreis uel probandis uel improbandis sermo est, capite manifesto cognoscitur. Multos enim uideas, qui nescio, qua ratione ducti easdem non plane improbandas censem, dummodo usui abusus non adjungatur, neque adeo secum animo reputant, longe facilius ea, quae ex corruptissima animi indole conjunctissima sunt, cogitatione, quam re ipsa, separari posse. Alii uero, ut tanto splendidiorem caussae suae speciem concilient, uel ex ipsis Scripturae Sacrae monumentis ejusdem praesidia petere nulli uerentur. Ob oculos enim nostros nobis ponunt exempla ueterum Hebracorum, qui non refragante Diuini Numinis sanctissima uoluntate, choreas duxisse, iisdemque, quod maximum est, Dei bonitatem, sapientiam maiestatemque rite collaudasse perhibentur. Quemadmodum uero posteriori huic argumento non parum roboris, primo certe aspectu, inesse uidetur; ita illud excutiendum euoluendumque, auctore suasoreque Maxime Reuerendo Domino Praeside, Patrono, Praeceptore studiorumque meorum Amplificatore aeternum deuenerando, ad specimen quoddam studiorum meorum edendum, tanto promptius in me suscepit, quanto majus momentum illud ipsum habere mihi uidebatur. Hanc opellam nostram in IV. capita dispescemus, quorum I. De diuersis Nominibus, tam hebraicis, quam graecis chorearum, II. De caussis earundem praecipuis, III. De modo, quem in saltationibus hebraei quondam tenuerunt, et IV. De Applicatione ad saltationes nostras hodiernas agit. Antea uero, quam ad rem ipsam pertractandam nos conferimus, nos, ne dissertatio iustos breuitatis, limites excederet, verba hebraica omisisse eorumque tantum uersionem adiecisse L.B. monendum esse arbitramur.

## C A P . L

## §. I.

**Q**UAM multa sint, quibus olim gens Hebraeorum animum, tanquam nobilissimam hominis partem, expoliuit; tamen non minori studio in ea quoque exercitia, quae ad corporis ui- res rite excolendas prouehendasque facere uidebantur, eandem in- cubuisse nouimus. In posteriori hac classe insignem commemora- mus eorum currendi alacritatem, in qua, teste *Fleurio* in Tr. de *Moribus Israelit.* et cap. sigillatim P. II. undecimo de educatione hebraeorum, uel a prima aetate erudiebantur. Non praetermit- tendum offendimus hujus asserti testimonium II. Sam. XVIII. 22. praecipue v. 27. unde luculenter intelligimus, cursum eorum ita fuisse comparatum, ut uel e longinquo currentes ab aliis ex solo cur- su dignosci potuerint. Accedit, quod ex *Asahelis* exemplo II. Sam. II. 18. adducto, constat, tantam sibi in currendo uelocitatem con- tinuis laboribus eosdem acquisuisse, ut l. c. dictus ille Asahel, quan- tum ad cursus celeritatem attinet cum caprea comparari potuerit, conf. I. Chron. XIII. 8. His, in quibus instruebantur, exercitiis ad- jungenda est ars colluctandi feriendique, quam non tantum coluisse, uerum etiam quam optime calluisse ex singularibus, quibus exquisiti- simi *Davidis* militum heroës insigniebantur, laudum paeconiis, praeeunte jam laudato *Fleurio*, colligimus. Illustria certe eorum facta, eaque omnino memoratu digna uberioris exposita legimus capp. XXIII. Lib. II. Sam. et I. Chron. XII. quae cum animi fortitudinem, tum corporis etiam expeditissimum robur demonstrant. Pari modo, non minorem fundae feliciter iacienda scopoq; praefixo accurate attin- gendo operam nauasse certissimi inde reddimur, quod *David*, ju- uentutis terminos nondum egressus admiranda hujus artis specimina edidit coll. I. Sam. XVII. 49. Luculentius illud adhuc patet ex cap. XX. 16. Iud. quo loco DCC. viri, in hac arte longe exercitatissi- mi, ex una tribu recensentur, et Benjaminitae ab eodem artificio laudantur. Praeter hosce uero ludos, qui partim patriae finibus amplifi-

amplificandis, partim amplificatis conseruandis in re militari inseruire, ii in primis non sunt praetereundi, qui ad delectandos reficiendosque hominum animos adjumentum quoddam afferre credebantur. Quemadmodum uero illud ludorum genus non parum obscuritatis tantum non in uniuersum in se continet; ita Musices in primis studio ad recreandos demulcendosque sensus maxime usos fuisse certo intelligimus. Etenim S. scripture teste, Exod. XV. 1. 21. I. Chron. XVI. 9. Ps. XXVII. 6. XXXIII. 3. etc. veteres hebraei Musicam, tanquam diuinum quoddam animorum excitandorum instrumentum non solum bene sapienterque ad uulgares usus adhibebant, sed etiam ad erigendas bonas mentes, easque multis calamitatibus infractas confirmabant excitabantque, ut Deum, partim auctorem conseruatoremque sui, partim remuneratorem benignissimum, partim patrem indulgentissimum meritis concelebrarent laudibus. Quae oblectamenta successu temporis, non obscuris quoque indiciis in alias regum recepta fuisse ex II. Sam. XIX. 35. et Koh. II. 8. patet. Tanto igitur minus caussae esse uidetur, cur de Musica priuatorum etiam hominum et non in usitata eorum exinde oblectatione, nimis scrupulose dubitemus. Extant profecto non contemnenda hujus rei hinc inde in sacris litteris testimonia, quae nobis id persuadeant e.g. Amos VI. 5. Es. V. 11. 12. XXIV. 8. quae excerpere non uacat. Inter haec ergo aliaque ludorum genera, quae olim inter judaeos obtinuisse uidentur, non infimum, mea sententia, locum sibi uendicant *Choreae*, quales olim usitatissimae fuisse animaduertuntur. Quas in praesenti constitutum est, paulo fusius copiosiusque pro instituti nostri ratione pertractare.

§. II. De choreis igitur veterum hebraeorum commentaturis ante omnia inquirendum est in uaria nomina, quibus eadem cum in V. T. et N. T. tum uero etiam LXX. ut uulgo uocantur, Interpretibus aliisque scriptoribus graecis gaudent. Quantum quidem ad nomina, quibus Choreae in V. T. insigniuntur, attinet, non admodum pauca eadem esse deprehendimus. Usitatissime omnium occurrit vox נְחֶזֶק, cuius tertiae radicali, accedente incremento, quoniam non solet Dagesch forte imprimi, radix ejus ge-

nuina חֹלֶל esse censetur. Quo etiam in significatu radix ipsa Ps. LXXXVII. 7. et Iud. XXI. 21. atque 23. occurrit: et si sint, qui a cognata radice חֹלֶל, si nomen in primis חֲלֵיל tibia ab eadem deriuatum species, originem suam ducere existiment. Vnde porro, quoniam חֹלֶל ui propriae nativaeque significationis suae penetrationem cum perforatione et κενωσιν seu euacuationem secundum Stockianam Clauem Linguae S. denotare arbitrantur, deriuant nomen מְחֻלָּוֹת, choreasque dici censem, partim, quia coetu quodam hominum, in quorum intimos animi recessus Musices suavitas sese insinuauit atque penetrauit, constant; partim etiam, quod, cum saltamus, majori impetu in terram penetramus, eandemq; eleuatione pedum facta, euacuamus. Quae tamen nimis longe petita anxieque excogitata uidentur, multoque adeo uerisimilius esse censem, eas a progressu et protrusione, qualis in partu edendo locum habet, et uiscerum motu uniuerso peristaltico seu tonico, ita appellari: qualem motum choreae uel oculis spectantium, praesertim serpentino progressu institutae subjiciunt. Deinde quoque saltationem nomine רַקֵּד exprimunt, quod generatim motum, qui modo huc modo illuc fit, denotat; speciatim uero et accuratissime omnium de saltationibus seu subsultationibus potius animalium maxime proprio sensu usurpatum deprehendimus. Ita enim de arietum saltibus, ad quorum instar montes exultaturi sunt Ps. CXIV. 6. et de uitulorum, qui posterioribus nonnunquam pedibus homines petunt, motibus, quales sensu omnino sublimiori cedris adscribuntur, Ps. XXIX. 6. dictum inuenitur: Transfertur autem ad homines, qui gestibus externis sublatique in altum corporis motu laetitiam animo conceptam testatorem hoc quoque modo reddere allaborant. Cujusmodi laeti animi externa signa I. Chron. XV. 29. edita legimus, quippe quo loco de Dauidis arcam Dei in urbem suam deducentis saltatione eadem vox adhibetur coll. Job. XXI. 11. Eccl. III. 5. Vnde quid de loco Koh. paulo ante citato, si quando ad choreas hinc probandas, ut sit, adhibeat, habendum sit, euidentissime appetet; cuius alia quoque, quae leguntur illic asserta, ad eas hinc defendendas minime quadrant: et si uanitatem actionum prae gaudio exiliendi perinde ut lugendi de rebus

rebus caducis hinc confirmari egregie pateat. Porro, quanquam  
 rarius, בְּרִר quoque occurrit, et quidem participium in Piel II. Sam.  
 VI. 14. et 16. idque eadem occasione jamjam commemorata, qua  
 David summam animi uoluptatem de arca Dei feliciter recuperata  
 stabiliue loco collocanda usurpat. Praeterea extant quoque uo-  
 ces שָׁחַת et קָנָע, quae una eademque uox est, nisi quod וְ et יְ  
 litterae unius organi, uti notissimum est, facile inter se alternent.  
 Quamuis uero uerbum hoc generalem plerumque ludendi notio-  
 nem habeat, hanc tamen specialem quoque sustinere significationem,  
 constat ex luculento satis, ut arbitror, loco Exod. XXXII. 6. Vbi  
 uox eadem קָנָע statim §. 19. explicatur sequentem in modum:  
*Et uidit (Moles) uitulum et Choreas.* Simili quoque ratione Da-  
 uid ob restitutam sibi arcam laetissimus I. Chron. XIII. 8. saltasse  
 censendus est, non minori animi tranquillitate, quam cum ean-  
 dem in pristinum consuetumque locum reposuit I. Chron. XV. 29.  
 His denique iungimus גָּמָל, quod proprie motum in gyrum Ps.  
 CVII. 27. atque inde subsilire, saltare, tripudiare praे gaudio signi-  
 ficat I. Sam. XXX. 16. et, quoniam homines festis maxime diebus,  
 quod infra luculentius patebit, laetitiam mente conceptam choreis  
 identidem testari solebant, denotat quoque: *festum diem agere,*  
*feriari.* Num vocabulum נָפָך, quod de Dauide II. Sam. VI. 16.  
 usurpatur, huc quoque referre debeamus, non sine caussa dubitari potest.  
 Etenim significatio huius verbi ex loc. paulo ante laudato et cum  
 Gen. XLIX. 24. collato difficilime euolui atque illustrari potest, ita,  
 ut notio saltandi locum obtainere queat. Accedit, quod et LXX.  
 uocem bis tantum ll. cc. occurrentem diuersis vocabulis transtule-  
 runt. Locus certe Gen. XLIX. de extensione brachiorum com-  
 mode intelligendus est, neque etiam dubitamus, quin significatus  
 extensionis in II. Sam. VI. 16. bene conueniat: Quum enim laeti hi-  
 laresque existimus, haud raro contingere solet, ut animi nostri gaudia,  
 uti aliis externis gestibus, ita quoque manuum extensione uel pro-  
 jectione brachiorum testificemur. Conferri hac de re possunt *Gussetii*  
*Commentarii Linguae Hebr.* cuius ad hanc uocem obseruationes, quae  
 expendantur, dignissimae sunt. Ut alios idem sentientes omittamus.

§. III. Consideratis diuersis uocabulis, quibus in V. instrumento Choreas gaudere uidimus, iam eas quoque, quae in Nouo T. et LXX. Interpr. occurrunt, breuibus perpendemus. In N. T. obuium est uerbum ὁρχεῖσθαι saltare Matth. XIV. 7. XI. 17. Luc. VII. 32. Marc. VI. 22. idemque Eccl. III. 5. usurpatum est, alibi uero etiam χορός Luc. XV. 23. legitur. Pluribus uocabulis utuntur LXX ad exprimendas saltationes. Praeter uerbum enim ὁρχεῖσθαι occurrit παίζειν, quod aequa atque ἔπος significatum saltandi interdum p[ro]se ferre indubitato constat ex Exod. XXXII. 6. coll. cum ejusdem cap. 9. 19. Legimus uero idem I. Chron. XV. 29. coniunctam cum ὁρχεῖσθαι; quae tamen duo uocabula non plane συναρμούμενα hic ponи censenda sunt. Prius enim, scilicet ὁρχεῖσθαι, proprie significat commotionem manuum et pedum, qualis in exiliendo locum habet, teste *Eustathio*, praestantissimo *Homeri* scholiaste; cum quo significatu quam optime consentit hebraicum רקד, de quo supra §. II. egimus. Posterius uero decentem concinnamque membrorum compositionem uariationemque multiplicem tanto probabilius connotare uidetur, quanto luculentius hebraeorum indolem ad affectus maiori nisu demonstrandos atque actionem uberiorem a natura sicciorique coeli et corporis temperie informatam esse constat. Ut proinde, quae Cl. Vir, *Hermannus ab Hardt* Diss. de *Accentuatione* annotauit, ad gestum et totius corporis agitationem in saltationibus etiam applicare liceat. Compositum ejus προσπαίζειν idem plane denotare discimus ex Hiob. XXI. 11. ubi in hebr. textu רקד extat. Accedit hisce uerbum ἀναρχουέσθαι II. Sam. VI. 14. et 16. bis repetitum, cuius simplex κρέω impulsionem designat, praepositione uero ἀνά, quae repetitionem connotat ejusdem actionis, adjecta, iteratam frequentatamque impulsionem. Quae affectio corporis apprime genio hebraeorum affectibus frequentioribus ardenteribusque nimium quantum indulgenti eosque etiam foras proferenti respondet, uti jam obseruatum est. Exinde uero jam porro ratio patet, cur antecedenti uerbo ὁρχεῖσθαι subjunctum sit ἀναρχουέσθαι, ad laetitiam nimirum Davidis plenius exprimendam. Ps. XXX. 12. nomen χαρά extat atque

atque hebr. מְחֹל ita translatum est ; de quo nihil est , quod moneamus , quum manifestissime per Synecdochē Generis pro Specie id esse adhibitum appareat. Συναγωγή uero pro coetu saltantium sumta , quae uox extat Ier. XXXI. 13. ratione denominandi a multitudine congregatorum petita , tanto minus attendenda est in praesenti , quia pro actione adjunctum seu subjectum potius exprimi nemo non intelligit , idque per compendium , ut simul hebraicum יְהִרְןָ una hac uoce simul comprehensum sit. Aequo raro , ut antecedentia , inuenimus participium ἐφραγόμενοι Ps. LXXXVII. cui in hebraico textu respondet חֲוָלָלִים ad tibiam saltantes , ac tripudiantes.

§. IV. Alios si conferamus scriptores graecos , eosque profanos , occurrunt quoque non pauca uocabula , ad saltationem exprimendam hinc inde adhibita ; de quibus tamen , quia ad institutum nostrum non exacte pertinent , paucis agemus. Sic uerbum πηδάω usurpatur alias de aqua saliente , at frequentius de subsultatione , ut in illo Sophoclis in Ajace πηδᾶν πεδία pro χατὰ τὰ πεδία saltare per campos : quae significatio in Compositis quoque locum habet. Neque minus σκιρτᾶν eundem habere significatum discimus ex Herodian. Lib. IV. cap. 11. §. 5. ubi haec extant uerba : πρός τε τυμάνων ἥχες ἐσκίρτων ἐνρύθμως h. e. ad tympanorum sonum apte saltabant. Ita Aristophanes in Plat. ὁρχῶσθε καὶ σκιρτᾶτε καὶ χορέυετε , tripudiate , saltate et choreas agite. Quod σκιρτᾶν alioquin in sacris quoque litteris de sola exultatione v. g. de Iohanne Baptista , matris utero adhuc inclusō , reperitur usurpatum. Neque alio sensu adhibitum inuenimus σκαιρώ , a quo σκιρτάω descendit , apud Homerum in Il. Σ. ¶. 572. μολπῇ τ' οὐ γυμῶτε , ποσὶ σκαιρόντες ἔποντο h. e. Cantu sibiloque pedibus tripudiantes sequebantur. Quo loco vetus Scholiastes participium σκαιρόντες explicat per uoces idem significantes : κινδύμενοι , σκιρῶντες ἢ πικνῶς κινούμενοι . Admodum etiam frequenter usurpant graeci scriptores uerbum χορέυειν , choreas ducere v. gr. Herodianus Lib. V. c. 3. §. 16. ἵερεγγύτα δη τέστον περίτε τοῖς βωμοῖς χορέυοντα κ. τ. λ. ἐπέβλεπον οἱ σερατιῶται . Hunc sacra celebrantem chorūmque circa altaria instaurantem &c. inspectabant milites

similiter Isocrates in Areop. phrasí utitur : *χορέουντες εν ιουατίοις χρυσά* : uestibus aureis indutum tripudiare. Forte et alia reperiuntur alibi : quae, quoniam plenaria recensione persequi non necesse in praesentia habemus, missa jam facimus, atque ad caussas ducendarum apud Hebraeos chorearum penitus considerandas nos conuertimus.

## C A P. II.

## S. I.

**D**icí non potest , quam aptae accommodataeque fuerint Choreae , eae uidelicet , quas more receptas justo olim ordine obseruabant , ad excitandos hominum animos pietatemque Deo rite approbandam . Quae consuetudo tantopere usitata fuit , ut David Pl. CL. 4. praeter alia cultus diuini , ut decet , peragendi instrumenta , mentionem quoque chorearum injecerit : *Laudate eum , inquiens , tympanis et Choreis.* Et profecto , si diuinorum litterarum caeterarumque hebraicarum rerum monumenta consulamus , non pauca deprehendemus uestigia , unde colligere possumus , iudeos olim in gaudiis publicis , iisque omnino solemnioribus , hilaritatem suam nulla re alia frequentius , quam saltatione et tripudiis , exprimere consueuisse . Ad exempla in Scripturis sacris obuia quod attinet , referendus huc est locus Exod. XV. 20. quo *Miriam* , Prophetissa , tympano instructa , multaeque aliae mulieres choream ducentes , et quidem in ejusmodi caufsa , ubi cultui religioso summi Numinis sine dubio uacandum erat , prodiisse in medium leguntur . Occasionem enim , quemadmodum ex praecedente cap. XIV. patet , solemniori huic actui praebuit admirandum Dei , quod *Israëlitis* in *Pharaone* demergendo praestitit , auxilium . Quam immetitam Dei benignitatem , quum Prophetissa , et reliquarum seminarum coetus sincera pietate concitus , celebrare grataque mente quasi compensare uellent , choreas in honorem Dei , apparatu Musico carminibusque sanctis adhibitis , institutas esse l. c. condocemur . Eadem quoque ratione David animum suum in diuina bonitate singulari modo acquiescentem

diui-

diuinaque auctoritate a Spiritu S. repletum, tripudio sancto significavit II. Sam. VI. 14. quum arcam, tanquam pignus diuinae gratiae, in urbem suam deduxit. Conferatur *Io. Clericus* ad hunc locum, ubi Chorea, ueterum sententia, ad cultum quoque diuinum referri annotatum uideas. Huc referremus etiam Exod. XXXII. ubi memoriam libertatis ab Aegyptiorum uiolentia vindicatae coll. \* 4. et 8. choreis quoque celebrare populus inde nuper eductus instituit, nisi certa momenta, diuinis legibus contraria, uitulus nimirum ex auro conflatus, contra Exod. XX. 4. et refractaria populi Israelitici indoles, aemulatione Aegyptiacorum morum demonstrata (Act. VII. 39.) easdem Deo inuisas reddidissent. Illud tamen hinc colligitur, sacras huiusmodi exultationes in hac gente iam ante usitatas, atque hinc quoque in praesenti indolatriae cultu, et si praepostere, adhibitas esse. Secundo cognoscimus ex sacris litteris, ueteres hebraeos, quum hostes, diuino auxilio, superassent, choreis quoque usos esse. His enim beneficiis quum a Deo affecti essent, admodum frequentes uictoribus obuiam iuisse constat, eosque praeter alias laetitiae testificatio-nes saltationibus excipere consueuisse Scripturae S. monimenta subinde commemorant. Non obscurum et primum quidem huius rei uestigium inuenimus Iud. XI. 34. memoriae mandatum. Etenim cum *Iephthah*, hebraeorum Iudicis titulo insignitus moderator, ab *Ammonitarum Rege* ad arma capessenda impelleretur, atque a Deo, Israelitis optime tunc cupiente, ita adiuuaretur, ut insigni uictoria eorum superbiam coerceret; filia eius, de patris uictoria certior redita, obuiam eidem progrediebatur, magnoque hominum *et feminarum* quidem, ut circumstantiae docent, comitatu stipata, saltationibus laetitiam testabatur. Quod quanquam satis clarum sit exemplum, tamen luculentius adhuc testimonium, extat I. Sam. XVIII. 6. 7. ubi *Dauidi* in primis, qui Goliathum deuicerat, magna feminarum, undique prae laetitia congregatarum, aut concurrentium copia, quae, quasi gratulabundae, in honorem eius duxerunt choreas, adfuisse, atque inter saltandum fortitudinem uictoris praedicasse dicitur. Nec dubium est, quin saepius ita euenerit, tametsi alibi non facile huiusmodi epinicia, ad hunc modum decan-

tati, Spiritus Sanctus hac ipsa de causa, quod trita res ea omnibusque cognita esset, meminisse necessarium existimaret.

§. II. Harum laudabilem usum, qui partim directe, partim indirecte ad gloriam diuini Numinis sese referebat, tempore etiam seruatoris nostri *Iesu Christi*, adhuc integrum apud nonnullos cordioris indolis homines extitisse probamus ex *Luc. XV. 25.* Et enim *Christus* ibidem beatorum gaudium de impiis, qui resipuerant, expressurus, eosdem nobis ob oculos ponit sub imagine patris, de filii sui, deperditae olim mentis, redditu ad meliorem frugem maxime laeti. Ut vero auditoribus animi sui sensa clarius explicaret, per Synecdochen speciei pro genere nominatim Chorearum, tanquam exempli sanctae laetitiae, mentionem iniicit. Unde, quoniam comparatio sanctae beatorum, de quibus antea §. 7. actum est, laetitiae cum sancta hominum eo tempore uiuentium laetitia aptior adhibita haud legitur, patet, inter Christum et auditores eius de sancto tum temporis chorearum usu iam conuenisse. Eamque ob rem *Rudolphus Gualtherus* in homiliis ad h. I. *Nemo lascivas et petulantias, inquit, saltationes animo concipere debet, quae hodie chorearum et chororum nomine palliantur.* Longe alia enim fuit horum ratio apud ueteres. Et paullo post: *Itaque pro illorum temporum ratione Christus loquitur et per concentum illum et chorus laetitiam credentium adumbrat, quae ex diuinae bonitatis consideratione nascitur etc.* Sicut autem nihil adeo bonum est, quod non incremento temporis ab integritate sua degeneret; ita quoque cum Choreis res sese habet. Exemplum ea de re extat *Matth. XIV. 6.* ubi filia uxoris *Herodis*, occasione natalis diei (qui *Iohanni* lethalis erat) patris, praesentibus multis grauibusque viris, iam tunc impie etiam saltasse, gestuumque concinnitate uarietateque lasciu*i* Herodis benevolentiam sibi comparasse legitur. *Lightfootus* equidem in *Hor. Talmud.* ad h. I. eam excusat, non tam ex leuitate, quam ex more gentis, in demonstrationem scilicet laetitiae ob celebritatem diei id factum esse, ratus. Hinc pergit I. c. Non ergo Herodem, inquiens, tam capravit gestus aut motus puellae saltantis, quam animus aut effectus, quod sc. ea honorem istum erga diem eius natalem amoremque et uenera-

nenerationem erga ipsum ita demonstraret laetitiamque de eius uita et salute. Verum hanc interpretationem regulis bonae exegesis parum respondere facile probamus. Extra controvrsiam namque positum est, duo in primis obseruari in hac saltatione, quorum alterum aequa atque alterum propensam Herodis uoluntatem saltatrici conciliare poterat, demonstratio scilicet honoris in diem eius natalem et gestuum parum pudicorum multiplex variatio. Id quod patet ex generali Euangelistae loquendi formula: ἡ θυγατὴρ τῆς Ἡρωδίᾳδος ἤρεσε λῷ Ἡρώθῃ: id quod non tantum de intentione, verum etiam de gestibus omnique corporis habitu intelligendum esse facile constat. Quum igitur praeter rationem alterum horum, quae Euangelista coniunxit, separet *Lightfootus*, interpretationem eius parum esse solidam cuiuis patebit. Vnde etiam factum est, ut plerisque actio haec non solum propter effectum consequentem *Iohanni* in primis funestum, sed ipsam quoque indecori gestus representationem male audiat. Quanquam forte ad institutum nostrum parum referat, hoccine an illud tueri uelis; praesertim ubi huiusmodi tripudia ex profanis caussis instituta, animo certe non puro agitata, plus damni quam commodi attulisse hinc ex plerorumque mente colligi possit.

§. III. Euolutis ex sacra Scriptura testimonij, genuinum saltandi usum demonstrantibus, ad alia nunc rerum hebraicarum monumenta accedimus. Exinde itaque anniuersariis praecipue festis solemnitatibus easdem in usu fuisse probabiliter colligimus ex Deut. XVI. ubi §. 10. laetitiam quamuis, uoluntati diuinae tantummodo alias non repugnantem, festis diebus *Pentecostes*, et §. 14. etiam Tabernaculorum declarare hebrei iubentur. Saltationes autem, utpote praecipuum laetitiae testandae instrumentum, generali hac loquendi ratione, tantum abest, ut exclusas statuamus, ut potius longe probabilius easdem cum aliis gaudii declarationibus coniunctas fuisse existimemus. Idque non prorsus obscure colligi posse uidetur ex radiis 117, quae locis laudatis extat, et proprie, ut supra Cap. I. §. II. annotauimus, de motu in gyrum coll. Es. XL. 22. et Prou. VIII. 27. usurpatur. Auctor *Aruch seu Lexici hebraeo-Talmudici de Chagi-*

ga Pentecostes : *Vox גְּנִזָּה*, inquit, tripudiationem denotat et plausum prae gaudio : *Lingua Syriaca חִנָּה*. Et sic in scriptura. Atque ab hac radice est, quod edunt, bibunt et tripudiant. Confer, si placet, *Lightfootum* in Hor. Talmud. ad cap. XV. 25. Marci. Quid igitur obstat, quo minus hebraeos ueteres, eosque pios, quem Pentecoste celebraretur, uti aliis hilaris animi signis externis, ita tripludiis praecipue laetissimum suum de beneficiis diuinis, cuiusmodi messis hoc tempore finita erat, animum testatos esse credamus ? Solemnitas certe illa, quam in *primitiis* Deo offerendis et ad templum eius inter tibias praecinentes adducendis adhibebant, ita comparata est, ut uel exinde occasionem eo tempore laetandi saltandique ipsis non defuisse uideamus. Atque haec de Pentecoste, collato *Lightfooto* in *Dec. Chorogr.* Marco praemissa cap. IV. §. VI. et *Hottingero* ad *Godvvinum* Lib. VI. c. II. §. XI. quae tamen fatemur, paullo obscuriora sunt. Certius uero de die *Tabernaculorum festo*, quo nihil laetius ex hebraeorum sententia excogitari potest, saltandi consuetudinem in eo quam maxime uiguisse constat. Diserte enim in *Tr. de Tabernac.* cap. V. §. 4. legitur : *Pii et homines peritissimi saltabant coram spectatoribus cum facibus lucentibus, quas in manibus habebant, et dicebant coram illis uerba cantorum et laudis.* Vbi porro, quod in templo id factum sit *atrio*, nominatim mulierum, praecipuam considerationem meretur, et a Iudeis hanc panegyrin inter sacras quoque numeratam esse hactenus sufficere potest. De origine enim, de qua nuper quaedam Cl. Vir, *Io. Gothofredus Lakemacher*, commentatus est, non possumus nunc esse solicii, qui de consuetudine potissimum iudaica, undecunque orta, differimus. Neque minus etiam die expiationum finito saltasse hebraeos constat ex testimonio *Theodoreti a Relando Antiqu. Hebr. P. IV. c. VI. laudato* : *Iudaei eo die non sunt uultu tetrico sed rident et ludunt et choreas agunt (χορεύοντες) et proteruis uerbis et negotiis indulgent.* Quae, ne uideantur male intellecta a Theodoreto, alio adhuc, eoque domestico, confirmamus testimonio ex *Tr. de ieuniis* cap. IV. §. 8. ubi : *Non fuere Israelitis, inquiunt magistri, tam festiui dies, quam quintus decimus mensis Abh et dies expiationum, quia illis ipsis diebus*

luctu

luctu publico transacto, *uirgines Hierosolymitanae egrediebantur*  
*inque uineis saltabant.* Has uero saltationes initium cum caeteris  
 laetitiae significationibus babuisse arbitror post praeterlapsum, quod  
 post finem undecimi et decimi diei mensis Tisri intercedit, temporis  
 spatium Leu. XXIII. definitum. Quum enim uesperae initium inci-  
 dat in finem nonae horae diei, probante illud Relando P. III. c. VI.  
 §. 16. Antiqu. hebr. facile fieri potuisse censeas, ut die adeo sancto,  
 et sine omni laetitia celebrando, saltare potuerint hebraei. At enim  
 uero, quum ex more consueto iudei ad occasum solis ab omnibus  
 omnino negotiis et oblectamentis abstinuisse perhibeantur, verba haec  
 ex *Tr. de ieuniis* citata, uel ipsis, qui hodie uiuunt, testibus Hebraeis,  
 parum considerate posita uidentur, quum choreas aliquis, ipso etiam  
 expiationis die non plane finito, usitatas fuisse iure meritoque hinc  
 colligere possit: Nisi noctu forsitan eas abiisse in uineas ibidemque  
 saltasse parum probabiliter existimes. Quod uero die prorsus ex-  
 acto animum uario laetitiae genere refecerint, testatur Relandus loco  
 supra adducto Antiqq. Hebr. P. IV. c. VI. §. 3. qui *exacto die sc.*  
*Expiationis, uesperam et noctem cum amicis hilarem agere et Pon-*  
*tificem M. et alios diserte scribit.* Cui asserto non parum roboris  
 conciliamus ex *Tr. Ioma* cap. VII. n. 4. edit. Surenhus. ubi expresse  
 magistri: *Comitabantur, inquiunt, eum Sacerdotem nempe summum,*  
*ad dominum suam.* *Ipse uero conuiuium parabat amicis, quando in*  
*pace exierat e sanctuario.* Qua occasione, uti uaria laetitia se re-  
 creauerunt, ita Choreis etiam eosdem sese oblectasse non est, cur so-  
 licite, uel disputemus, uel dubitemus; quoniam XVum diem mensis  
 Vti, quo memoria finitae mortis poenae, egressis ex Aegypto et re-  
 fractariis deinceps infictae, recolebatur, solemniter hisce Iudicris ob-  
 lectationibus, ex iudeorum sententia, destinatum fuisse ad scopum  
 nostrum sufficere potest. De *Paschate* equidem nihil huc usque  
 commemoratum huiusmodi animaduertimus. Quoniam uero inter  
 Hilaria primum erat, in eo quoque ordinarie choreas esse frequen-  
 tatas uero nobis non absimile uidetur.

§. IV. A solemnitatibus ordinariis ad extraordinarias ueni-  
 mus. In quibus primum *nuptiarum* mentionem faciemus choreas-

que

que ibi maxime frequentes fuisse demonstrabimus. Quanquam enim de uetustis moribus parum supersit, si a septem diebus laetitiae continuatae, aenigmatum propositorum exercitio et similibus, in *Simsonis* historia enarratis, discedas; non tamen credibile est, in his quoque solemnitatibus laetitiae testandae id creberrimum in hac gente exercitium omissum esse. In Talmudicis certe monumentis, nominatim in Kethubh. fol. 17. (a) non tantum Rabbinorum in nuptiis saltantium fit mentio, sed etiam singulare quoddam R. Iudee f. Eliae et R. Samuelis f. Isaaci commemoratur artificium; quo factum sit, ut inter saltandum alter, sumto ramo myrti coram sponsa saltarit; alter uero **אתלהת** h.e. uti Raschi explicat, tribus ramis ita tripudiasse dicitur, ut uno eorum ac deinde caeteris subito in sublime iactatis, hunc et statim etiam alterum, tertiumque decidentes uelocissime manu exciperet, eosque iterum iterumque, dum cepit eos, proiceret atque reciperet. Recentiori uero aetate tritissimas esse in nuptiis iudeorum choreas testis est Buxtorfius in Synagoga cap. XXXIX. locis hisce, inquit, peractis, tum demum uera coena instruitur, laeti admodum sunt et parum de hierosolymis cogitant, saltant et choreas agunt, ut omnes, quibus id uidere contigit, norunt, et seqq. Quin easdem uel ipso sabbatho, is si calus contigerit, haud prohiberi petuasum iudeis esse idem testatur cap. XXXIX. Si sabbathum in nuptias incidat, aiens, magno honore sabbatum afficere se credunt, si strenue saltauerint. Evidem inter hebraeorum praecpta prorsus contraria huic consuetudini lex occurrere uidetur in

**סָמֵג** R. Mosis Mikkozzi: *Non currendum, nec saltandum sabbatho.* At enim uero, quae iniucem sibi repugnantia putas, haud difficulter ita conciliari posse uidentur, ut priscis quidem temporibus easdem omnino interdictas; progressu uero temporis, quum morum integritas paullatim sese inclinaret, easdem quoque ad honorem coniugii quam maxime amplificandum, tanto facilius in consuetudinem abiisse arbitremur, quanto certius inter dies hilaritatis sabbathum referri et coniugium omni laetitiae genere cohonestandum esse Iudeos statuere, uel experientia quotidiana constat. Pari enim ratione

ratione modum ipsum choreas agendi, interiecto aliquo temporis intervallo, sensim a pristina sua integritate multum desciuisse paullo post ostendemus. Deinde, aduentante Messia, a quo omni bonorum caducorum genere se cumulatum iri putant, Deum illis choreas, tanquam singulare beneficium, concedere credunt. Sic in Massechet Taanit legimus : *Faciet Deus chorūm pro iustis, et ipse met se debet inter eos in horto Edenis.* Rectius huc referri queunt narratiunculae, quas ex R. Beniamin Tudelensi eiusque itinerario excerptas Hottingerus dedit in Cippis hebraicis, ubi saltasse iudeos legimus, quum quotannis conuenirent ad sepulcrum Mardochaei eiusque ibi memoriam redintegrarent. Ita enim Auctor ex versione l' Empereur : *Toto illo tractu congregantur (iudei) die Purim eoque proficiscuntur ad sepulcrum eius, cantica dicentes et encomia cum tympanis et choreis laetantes et gaudentes etc.* Cuiusmodi etiam illud exemplum est chorearum, quas in honorem defunctorum institutas esse in iisdem monumentis hebraicis iam laudatis p. 30. habetur.

§. V. Vtrum in aliis, praeter eas, quas adhuc recensitum iimus, solemnioribus congregationibus festisque diebus, usq; sit gens hebraea, iisdem etiam corporis motibus ; illud, quum et hebraeorum et aliorum ea de re testimonia nos deficiant, certo affirmare non possumus. Si tamen, quid, nostra sententia, ad ueritatem proprius accedat, expromendum sit, ab eorum, qui id affirmant, partibus nos stare non diffitemur. *Ieremiae* equidem cap. XXXI. 13. chorearum ab hominibus, qua sexum et aetatem inter se diuersis, agitatarum mentionem fieri nouimus, ita tamen, ut laetitiae caussa non clare exprimatur, sed generatim hilaritatis demonstratae indicum commemoretur. Ex hoc ipso uero uaticinio non in solemnibus tantum, sed etiam priuatis, praeter nuptias, laetandi caussis et casibus u. g. in uindemia, messe item finita, perinde uti occasione regum per unctionem inauguratorum, aliisque, tam communibus, quam propriis etiam felicitatis oblatae celebrationibus, easdem locum habuisse clarissime conficitur. *Generatim enim loquitur, atque caussam peculiarem nullam nominando multifarias fuisse et fore imposterum, phrasi ex iudeorum antiquis moribus desumpta, non*

*obscure innuit.* Quare etiam non adeo necessarium esse ducimus, ut singularibus illud exemplis, hinc inde ex libris sacris et profanis iudaeorum collectis, comprobemus. Vindemiae certe ea tripudia fuisse subiuncta Liber Iud. cap. IX. v. 27. haud obscure demonstrare uidetur, cum quo Es. V. 1. sq. IX. 3. XVI. 10. etc. comparari poterunt; quemadmodum et de caeteris nonnulla hinc inde uestigia haud contemnenda occurrunt. Imo uero de consecrationibus uinearum res tam clara est, ut Aben Estra in Comm. ad Deut. XX. 6. uocabulum חל quod uulgo profanationem reddunt, per *choreas ductas* explicet et *more saltandi uineas inaugurat*as fuisse rectissime, si quid iudicamus, doceat. De Therapeutis equidem in Philome quaedam leguntur, choreas in congregationibus suis post epulas finitas ducentibus. At uero, cum multa sint alia, quae de hoc hominum genere in controversia adhuc uersantur, in sequens caput ea reiicere consultius esse arbitramur. Quae uero de saltationibus ipsius Numinis sanctissimi, aut angelorum cum feminis piis, scilicet cum Eua aliisque sanctis Patriarcharum uxoribus, nugantur iudei, digna non sunt, utpote fabulae manifestissimae, quae in censum nostrum ueniant. Quae nugamenta ipsi quoque iudei non omnes probant. Quorsum multo magis dubitamus referre, quae homines illi, rerum terrenarum amore capti, ad sublimiora et coelestia quoque gaudia transferunt, futura insuper spectantia et genium hominum mente corruptorum arguentia. Hoc tamen facere non possumus, quin addamus, uerosimile nobis uideri, in solemnitatibus quoque Academicis et scholasticis saltandi morem olim, sed degenere forte iam aevo, receptum esse, eamque ob rem, antequam finem huic capiti faciamus, coniecturam, quam de solemnni ritu Doctorum inter hebraeos renunciandorum cepimus, addere placet. Etenim hac quoque solemnitate chorearum usum non infrequentem fuisse coniicias ex Tr. cit. Ke-tubhoth fol. 17. Ibi enim, cum uariae formulae in choreis cantatae recenseantur, inter eas refertur etiam illa, quae in honorem eorum, qui honoribus summis, siue Rabbinicis, ornabantur, recitari consueuerat. Sic enim l.c. Talmudistae: *Quando ordinabant, inquiunt, Rabbini R. Sirah, cantarunt in eius honorem hoc modo: Non*

*stibio,*

stibio, non fuco, non colore alio notatus est magister siue Doctor noster, sed gratus instar capreæ. Quum ordinarent Rabbini nostri R. Immi et R. Ase, cantarunt de illis hunc in modum: Quis quis talis est, quisquis huiusmodi est, eum ordinate nobis; non ordinate nobis, neque farmentitum, neque stramineum etc. Alii uero dixerunt ad eum (contradicentes nimirum ita cantatum fuisse) non ordinate nobis, qui sit ex numero iniuriosorum, aut impolitorum inciviliusque, et reliqua. Sed satis de caussis saltationum publica priuataque occasione celebratarum dictum censemus. Ad modum ritumque earum considerandum iam ut nos conferamus, ordo constitutus postulat.

## CAP. III.

## §. I.

**A**d caput itaque rei ut ueniamus, Choresque, uario respectu habito, consideremus, partim nostri nos instituti ratio, partim rei dignitas et usus denique huius consuetudinis abususque ex hebraeorum moribus cognitus efflagitant. Neque uero facilius id fieri posse arbitramur, quam si primum saltationis modum uario corporis motu constantem; deinde hominum saltantium sexum; porro apparatus musici conditionem; denique carmina etiam ad Musicam cantata euoluamus. Ut primum horum primo loco expediamus; modum illum non unum eundemque, sed diuersum, uel temporum vicissitudine et more, uel arbitrio etiam hominum, fuisse facile intelligimus. Vna chorearum ducendarum species erat, quum in orbem ire consueuerunt; quam in primis speciem uis uocis מחהל exprimit, nostrique etiam hodierni mores referunt: Altera, quum passibus aequalibus longe progrediebantur, ut nostris temporibus interdum quoque a pueris puellisque fieri solet. Vtrumque patet ex luculento R. Abrahami testimonio in Schilte haggiborim fol. 5. b. Qui: saltabant, inquit, mulieres, uel in Circulo, uel aequalibus passibus in longitudinem prolati: Nam et hoc saltationis genus vocatur in Scriptura S. מחהל; sicut legitur Iud. XXI. Quibus uerbis haud dubie non semper in gyrum conuersos fuisse, sed, uel recta li-

nea, corpore ad latus conuerso, progressos fuisse, uel serpentina quadam inflexione inter saltandum processisse docet. Qua de forma tamen, quam חַוָּל hebraicum confirmat, non magnopere sumus solliciti, et ad *homines* potius pergit, qui ad easdem ducendas conuenerunt, eosque, ratione *sexus* potissimum habita, consideramus. De quibus, si testimonia, quae partim ex S. litteris, partim ex Hebraeorum monumentis petuntur, expendamus; prisco, eoque iudabili hebraeae gentis more, *homines tantum unius eiusdemque sexus communiter*, hoc est una saltasse constabit. Generatim id probamus ex Ierem. XXXI. 13. ubi noui foederis tempore, tam uirgines in gyrum actae, quam senes iuuenesque ad unum omnes saltaturi affirmantur, et sexus uterque, a se inuicem disiunctus, in ipso actu laetitiae, caeterum communis, extrinsecus declaratae, tam uerbis separatis et distincte expositis, quam accentibus, *utrique sexui et aetati sciungendo sciunctim appositis*, ostenditur. Falsi enim sunt, qui per particulam יְהִינָּה coniunctionem hominum ex diuerso genere significari, et *iunctim* seu *mixtim* hos omnes, qui nominantur, saltaturos praedici putant; quum illa potius per complexum omnium hominum non tantum possit, uerum etiam debeat explicari. Prius probatur ex Exod. XIX. 8. itemque Ps. XIV. 3. coll. cum h. l. Rom. III. 12. ubi Apostolus ipse per πάντες Hebraicam particulam explicat; posterius uero ex scopo prophetae manifestissime patet. Is enim in eo est, ut sanctam, quae ex salute per Christum parta cooritur, laetitiam, laetitia externa olim usitata Deoque non improba ta, speciatim choreis describendis, adumbret, illasque omnibus omnino hominibus, ne senibus quidem exceptis, quos alias haec res parum mouet, communes futuras, rebus iudeorum in melius restitu tis, affirmet. Quum uero choreae, quae ex hominibus, diuerso sexu coniuncto, componuntur, Deo, propter peruersos hominum mores, parum probentur, neque unquam populo huic alias receptae legantur, nullaeque etiam aliae, quas intelligamus, supersint, quam, quae ex eiusdem sexus hominibus constant; recte exinde cum R. Abraham, paullo ante laudato, colligimus discimusque, *mulleres seu uirgines*, quae separatis nominatae sunt, *solas*, tum uero et iuuenes

*iuuenes senesque omnes seorsim h.e. sine commercio cum mulieribus, et tamen suo cunctos loco, olim saltasse, et sanctiori accensos laetitia temporibus Messiae dici exultaturos esse.*

§. II. Speciatim uero *Choreas* respectu *uirorum solitarias* probamus ex notissima illa Exod. XXXII. historia: in qua *filii Israel*, et quidem soli, sine coniunctione *feminarum*, quarum nulla mentio fit, saltasse commemorantur: id quod patet amplius uel ex §. 27. ubi Moses supplicium quoque de *uiris*, neutiquam uero de *feminis*, Leuitas sumere iussit. Quodsi uero et *feminae* eodem se facinore contaminassent, paribus certe poenis affectae essent. Huic tristi exultantium actui adiungimus II. Sam. VI. 14. 16. coll. cum I. Chron. XV. 29. laetum magis et laudabilem, quo *Dauid* solus saltasse legitur, ita, ut ne minima quidem mentio *feminae* iniiciatur, neque etiam ulla specie fingi possit. Hinc R. *Iesaias* b. Abraham in *Schene Lukoth habberith*, quum *solitarias* *uirorum* saltationes magno animi affectu commendat, *Dauidis* quoque, coram Domino separatim saltantis, mentionem facit, eumque aliis exempli loco proponit. Amplius id probamus ex testimonio, quod in monumentis Talmudicis, speciatim Tr. *Ketubhoth* fol. 17. extat, huius sententiae: *R. Achas sponsam humeris suis impositam suscepit et saltauit. Quo uiso dixerunt reliqui Rabbini: Num etiam nobis ita facere licet? At respondit ille ipsis, si sponsae uos tantundem mouent aut afficiunt, ut trabs gestata, ita esto; sin minus, intermittite.* Ex quo eleganssimo loco apparet, consuetudini tunc temporis parum consentaneum fuisse, ut *uiri*, quum saltarent, *feminas* in societatem adsciscerent; ut potius ceteri, rei nouitate impulsi, num ipsis etiam idem facere liceret, ex eo quaererent. Quae, ne quis interpretetur hunc in modum, quasi solus sponsam humeris excipiendi actus parum solidus fuerit, alias consideretur locus ex Tr. *Succah* cap. V. desumtus, ubi definita *uirorum* in atrio mulierum, atque ipso adeo templo, festis Tabernaculorum diebus, saltantium mentio fit, *feminis* interea hanc solemnitatem ex podio spectantibus; ceteraque etiam omnia ita comparata sunt, ut loci sanctitas alias, nisi *solitarias* saltationes, non admittat. Quo factum est, ut mixtim ex utroque sexu choreas

reas ductas admodum detestetur laudatus R. *Iesaias in Schene Lachoth habberith* fol. 97. b. ubi parum abest, quin omne malorum genus iis, qui cum mulieribus eas ineunt, imprecetur; praecipue vero illis, qui manus earum prensant, aduersa quaeque denunciat. Dignum autem, quod notetur, in primis est, quod eod. *Libro f. 143.* b. *choreas, quas angelos, occasione connubii Adamum inter et Euam firmati, celebrasse perhibet, cum iis, quales tum temporis, uel apud ipsos Iudeos, a genuino ueterum more descisentes, uel etiam apud alias gentes, extitere, comparat, easque, tanquam parum laudabiles ad laudabilem olim angelorum morem moderandas esse concludit;* atque adeo hoc ipso priores choreas et sanctas, innoxias certe, quas solas esse censet, *solitarias unius sexus, posterioribus corruptis ex gentis suae, de antiqua consuetudine, consensu praeferendas docet.*

**§. III.** Vidimus hactenus argumenta, unde ueteres Iudeorum choreas respectu uirorum solitarias, consentientibus ipsis Iudeis, fuisse constat; iam id nobis negotii datum censemus, ut porro *eas et respectu feminarum solitarias* fuisse demonstremus. Omnium primum nobis hic id, quod *Exod. XV. 20.* describitur, ante oculos obuersatur exemplum, ubi *Miriam*, magno feminarum coetu circumdata, cum tympanis choreisque exiisse, Israelitisque, qui ductu Mosis Dei benignitatem carminibus ad musicam cantatis, forte etiam choreis institutis, seorsim efferebant, respondisse legitur. Neque enim necessarium est, ut cum Celeberrimo Viro, *Ioh. Clerico in Comment. ad h. l.* □הַל pro הַל possum esse, atque ad feminas, quae *Miriam* comitatae sunt, respici putemus; cum illud maiori iure ad Israëlitas, quibus *Miriam* cum coetu sui sexus respondit, referri possit ac debeat. Luculentiora profecto cuncta sunt, si uiros, ductu Mosis, et feminas, ductu *Miriam*, sibi inuicem respondentes, diuerso loco et ex aduerso, sexumque alterum diuersum ab altero, inter carmina fidesque saltasse colligamus. Idem porro probatur ex *Iud. XI. 34.* ubi *filia Iephthae*, quae patri e militia redeunti, nec opinatio cum choreis obuiam facta est, non nisi feminis stipata. Feminarum enim, quum deinceps mentio §. 38. fiat, quando eandem ad montes abeuntē comitatae sunt, quis dubitet, easdem quoque in

in priori illo occursu solas sociatas laetitiae de uictoria cum choreis  
comites fuisse? Virorum certe ne uerbo quidem iniecta est memo-  
ria, uti supra iam monuimus. Neque uero ex silentio tantum scri-  
pturae sacrae uiros ab huiusmodi laeta corporis commotione, et  
quidem more consueto, absfuisse concludimus; uerum etiam hinc  
inprimis idem euinci posse putamus, quod uix alias credibile sit, ui-  
rorum occurrentium simul mentionem non factam, feminas item  
solas, non uero aeque uiros, dolorem suum de hac inopinata pa-  
tris calamitate significaturos fuisse, cum tamen tot tantisque bene-  
ficiis, singulari eius uirtute partis, et ipsi fruerentur. Hisce accedit  
Iud. XXI. 21. seqq. ubi progenies ex *Beniaminitis* residua puellis,  
quae ex urbe *Silo* ad celebrandum quendam peculiarem diem festum  
exibant, insidias struxisse dicitur. Certe, uel exinde choreas sexus  
diuersi solitarias colligimus, quod Beniaminitae ex insidiis prorum-  
pentes acre omnino certamen cum uiris, qui choreis his intererant,  
non potuissent euitare, si iuuenes aut uiri eo tempore adfuissent.  
Nec parum nos hac in sententia ea, quae sequuntur, confirmant,  
ubi caeteri Beniaminitae §. 22. commissa iam rapina, cum con-  
sanguineis earum certamen aliquod metuisse dicuntur. Quod mul-  
to magis cum uiris, qui adessent, quum rapina committeretur,  
futurum animo eos praeuidisse, est certe, cur credamus; si quidem  
iuuenes, aut uiri his saltationibus interfuerint. Conferatur etiam  
I. Sam. XVIII. 6. et 7. ubi pari modo feminas saltasse *Dauidique*  
magna cum laetitia assurrexisse, nulla uiri alicuius coniunctione me-  
morata, narratur. Haec autem, quae diximus, diu ad hunc mo-  
dum continuata esse confirmatur uberior et explicatur quodam-  
modo, eximio illo Talmudistarum testimonio in ipsa Mischa-  
na ex cap. IV. Taanit, th. ult. ut Surenhusius reddidit, depromo,  
ubi: *Virgines Hierosolymitanae, aiunt, exibant inque uincis salta-  
bant.* Quid uero dixerunt? Respond. Intende oculos, quae so-  
iuuenis, ac probe aspice, quam tibi eligas uxorem. Hinc enim  
extra omnem controversiam, easdem solas, ( quicquid sit de die  
finito Expiationis, de XV. certe Abh id indubitatum est, ) & die  
quidem hoc singulari, recens lotis atque mutatis uestibus, omnes sal-  
tas

tasse discimus, tum, quia uirginum tantum mentio fit, tum, quia ipsae iuuenes, ut spectatores, alloquebantur.

§. IV. Evidem *laudabilem* hanc *consuetudinem* uetus rem, corruptis identidem hominum moribus, facile etiam, progressu temporis, *in desuetudinem abiisse* non negamus: quo tempore uero id acciderit, illud, quum idonea nobis desint testimonia, certo definire non audemus. Nostra tamen sententia uero consenteum est, saltationes communiter ab utroque sexu celebratas non uno eodemque temporis articulo, sed *sensim pedetentimque*, ut omne uitiorum genus in uirtutis locum succedit, *in morem uenisse*. In primis uero, statu hebraeorum magis magisque in peius ruente, ut II. Macc. IV. 6. 7. describitur, easdem magis inualuisse uerisimile censemus. Et quanquam uix labente in peius Republica et Ecclesia Iudeorum, reperias chorearum exempla ab historicis annotata, ingentem tamen huic mutationi paullatim inualescenti lucem accedit *Therapeutarum* seu *Essacorum* ab 'DN sic dictorum historia, quam peculiari libello descripsit Philo, atque ex eo haud ita pridem Vir Cl. Heumannus Act. Philos. P. XVI. in compendio exhibuit. Diu equidem de iis inter eruditos multumque disputatum est, quodnam illi genus nominum fuerint, quum alii eos inter Christianos, alii inter iudeos, alii denique inter paganos referant. Probabilius tamen inter Iudeos esse numerandos hinc constare putant, quod Philo eos diserte *Mosis* discipulos appellat et, tanquam antiquiores Christo nato pridemque cognitos, describat. Quicquid uero horum sit, de choreis certe eorum ita scribit Philo: *Vbi omnes, inquiens, consurrexere, duo chori sunt in medio coenaculo: alter virorum, alter feminarum: cuique suus inventor praeficitur honore praestans et canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos uariis metrorum carminumque generibus, nunc alternis, non sine decoris et religiosis gestibus, modo stantes, modo prorsum retrorsumque gradum mouentes, utcumque res postulat.* Idem uero quando addit: *Postquam uterque chorus (distinctus ergo hucusque, moribus antiquis,) seorsim expleuit se suis deliciis, uelut amore diuino ebrius, unum chorum faciunt promiscuum: et quae sunt reliqua.*

reliqua. Hinc certe Therapeutas hosce et Therapeutides non communiter, sed cum sui sexus similibus saltasse adeo clare patet, ut copiosius illud affirmare uix necessarium sit. At hac demum tempestate iam aliquando, nec tamen constanter, interdum in unum choreum coinisse colligitur, summa licet modestia etiam tunc uterentur. Vnde forte consuetudo illa successu temporis ad plures dimanauit. Quod de reliquo antiquiorem solitariarum chorearum morem attinet, tantum abest, ut solitas eas Iudeis fuisse dubitemus, ut nec ipsis omnino paganis hominibus illum inusitatum fuisse doceat nos Euerhardus Feithius Antiqu. Hom. Lib. IV. cap. 5. qui: *Obseruat, ait, Eustathius, uulgo censeri apud plerosque antiquitus morem fuisse, ut uiri ac mulieres seorsim choreas agitarent &c.* Sed haec obiter.

S. V. Tertio nunc loco, quando ad *musicum apparatus* nos conuertimus, quum sint Musicae hebraeorum rationes in uniuersum obscurissimae, facile praeuidemus, eundem tanto maioribus impeditum esse difficultibus, ut, quid statuendum sit, uix certo definiri queat; quanto breuius, uel nihil omnino, de musico aliquo instrumento inter choreas adhibito ll. cc. commemoratur. Non est igitur, quod expectet B. L. plenam huius rei explanationem, sed paucis nonnullas tantum in praesentia apparatus huius musici species perlustraturis, coniecturis, quibus hebrei in choreis usi uideantur, ueniam indulget. Frequentissime utebantur tympano, Hebraeis נִגְנִי dicto: quae uox, ut sonum tympani minoris, siue manibus, siue bacillo pulsi naturalem exprimit, ita Cl. Clerico iam obseruante in Comment. ad cap. XXXI. 27. Genes. quale instrumentum fuerit, docet. De cuius figura, quando disputant, utrum nonnulla ex una tantum parte, nonnulla uero ex utraque clausa fuerint, prout ex utriusque delineatione in Calmeti Thesauro Antiqu. Sacrar. et Profanarum in Act. Erud. Lips. A. 1723. mens. Aug. recensito elucet, non est in praesentia, ut fusius differamus. His enim tympanis, scriptura teste, saepius uisas esse feminas, quum diuinarum laudum celebratione sese oblectarent, nobis sufficit addocuisse Sunt equidem nonnulli, qui per tympana haec non ea, quibus nostri utuntur, et qua-

membrana inducta pulsataque sonum raucum edunt, sed Aegyptiorum more recepta crepitacula concussa, qualia in festis etiam usitata et a foeminis quoque adhibita fuisse, uiris succinentibus, ex *Herodoti Lib. II. c. 60.* constat, intelligi putant: uti inter Iudeos quoque R. *Abraham in Schilte haggibborim* fol. 5. (b.) ed. Mant. in hanc sententiam admodum propendet. Quoniam uero haec pluribus explicare per spatii angustiam non licet, aliis hanc hypothesisin animo expendendam relinquimus, et ad alterum instrumentum *Musicum* progredimur. Occurrit illud I. Sam. XVIII. 6. ubi inter laetas etiam occasiones huiusmodi, nominatim uero in **מחולות** seu choreis **שלשים** adhibitum legimus. De quo, quum nihil alioquin annotatum sit, et radicis solius consulenda sit significatio, eius inquisitione instituta, tribus id praecipuis partibus constitisse nec dubium esse, triplicatum quid fuisse, putamus. Qualesnam uero partes fuerint, cum non aequa certo constet, et Cl. *Clericus ad h. l. in Comment.* **שלשים** per *trichorda* transferat; *Calmetus* uero pro figura triangulari habeat l. cit.; nos nihil definientes arbitrium, harum sententiarum aliquam eligendi, cuius relinquimus, et praeter tympana aut crepitacula fidibus haud dubie constantia organa ab aliis adhiberi consueuisse, pro instituti nostri ratione satis censemus, heic monuisse; delineationes uero uarias aeris incisas, quae in A. E. Lips. l. c. conspiciuntur, B. L. non oculis tantum, sed animo etiam reputandas commendamus. *A tactilibus ad Inflatilia*, uti vocantur, pergitimus, inter quae *Tibiis*, etiam l. c. delineatis, uti consueuisse Iudeos, et quidem in gaudiis etiam solemnioribus, cum constet; multo minus in choreis ductis adhibitas esse dubitamus. Quod ipsum ex Ps. quoque CXLVIII. 3. ubi coll. §. 232. et. 102. Viri S. R. D. D. *Dantzii*, uersio hujus est argumenti: *Tibiis canendo laudabunt nomen eius in Choreis; cum tympanis et cythara modulabuntur ipsi*, luculentissime patet. Et quoniam, ut ex precedente capite constat, tibias etiam adhibuerunt iudei, quum Deo primitiua offerrent Hierosolymamque inter tripudia deferrent, coll. Tr. *Biccurim* cap. III. §. 3., tanto hinc probabilius, in ceteris quoque laetitiae publicae priuataeque actibus eas haud defuisse, concludimus.

Id

Id quod admodum praeclare Ies. XXX. 29. exprimitur ; unde, ibi quoque Chorea non defuisse supra, quoad fieri potuit, probauimus : perinde uti cap. V. 12. tibia cum tympano laetis occasionibus adhiberi sueto coniungitur. Quae omnia denique praecipue locus I. Reg. I. 40. illustris, ubi, quum *Salomo* ad dignitatis regiae fastigium inaugurateur, tibiae cum ipsis choreis componuntur, clarissimis uerbis confirmat. Cuius loci ultima uerba, quibus *strepitus hominum terra fissa* non sine hyperboles Hebraeis usitatae indicio dicitur, manifestam tripudii circumscriptiōnem p̄ae se ferunt, feruīdo iudeorum genio apprime conuenientem. Quam sententiam quoque summe Reuerendus DN. *Praeses* huius Dissertationis in *Nucleo Rhethoricae* S. §. XVI. n. 2. *Glossio* p̄aeēunte, approbat. *Dougl̄euse* quidem Tom. I. *Analect.* saltationes etiam in luctu hebraeorum adhibitas esse hinc infert, et ad Matth. XI. 18. ac Luc. VII. 32. notat : *De cantu et saltatione in funebribus exequiis adhiberi consuetis non omnino incommode intelligi potest : Sic enim solebant utrumque, ut tum ad tibiae modos concinerent defuncti laudes, tum saltando exprimerent.* Recte uero refutat eundem *Petrus Zornius*, Vir Cl. *Biblioth. Antiq. Exeg.* P. VII. neque unquam probari posse saltationes in iudeorum funeribus institutas fuisse bene statuit. Suppeterent alia plura, ex quibus elucet, neque in hoc tantum apparatu acquieuisse Hebraeos, uerum etiam *cithara, nablio, cymbalis et buccinis*, a *Calmeto* l. c. delineatis, aliisque innumeris uti consueuisse, idemque in *Tr. Succa* Talmudistas quoque comprobare, demonstrari posset ; sed cum ut omnia fusius recenseamus, instituti ratio et chartae limites non permittant, heic subsystemus.

§. VI. *Carminum* tamen ad Musicam *cantatorum* quarto loco mentionem ut faciamus res ipsa postulat. De quibus haec pauca notari uolumus. Sicut diuersae occasiones se se offerebant, quibus iisdem uti consueuerint : ita ea etiam ad occasiones, ut se se dabant, accommodata haud dubie fuisse, de reliquo autem nihil lasciui continuisse, sed religionem et modestiam cum uerecundia spirasse, metacente, patet. Exempla quidem ea de re in sacris litteris non ita

multa extant, nisi quod Exod. XV. illustre specimen litteris mandatum inuenimus, quod ad diuinias laudes concelebrandas manifestissime spectabat. Cui alterum illud in hominis laude occupatum I. Sam. XVIII. 6. ubi feminas fortissimum Dauidis animum extulisse ipsumque hac de caussa in summum uitae periculum adduxisse perhibetur, bene haec tenus respondet: ad quem locum etiam *Abarbanel* obseruauit: *Prisca consuetudine receptum fuisse, ut cantica conficerentur ad extollendam, quam monstrarint, militum fortitudinem.* Quia uero neque hinc aliud quid effici potest, quod argumentum carminum illustrare queat; praeterea etiam huiusmodi testimonia iam supra ex Tr. *Succa* et *Kethubboth* in nuptiis et academicis promotionum solemnitatibus adduximus: his missis de forma potius solliciti erimus. Vbi quamuis fateamur, parum certi de Musica hebraeorum eiusque compositione cognitum esse; hoc tamen asseverere non dubitamus, uti totam Musicam, ita eam quoque, quae in Choreis adhibita fuerat, canticis constitisse modulatione fidium et tibiarum instructis et argutis, sed per *Antiphonas* decantari solitis: Sic nimirum, ut altera pars praecineret carminis partem, altera ex aduerso responderet succineretque prioribus, idemque adeo, quod in sacris fiebat, etiam in choreis, plerumque in choros distributis, laetitiae mutuo excitandae caussa, usu ueniret. Haec certe Hebr. פָּנָע utробique semel iterumque repetitum non obscure innuit. Sed manum de Tabula. Pergendum est ad cap. IV. finisque tandem nostrae differentiationi imponendus.

## C A P. I V.

## §. I.

**R**eliquum adhuc est, ut promissi nostri memores choreas hasce ueterum hebraeorum cum nostris aliquanto diligentius comparemus. Satis equidem officio nostro uideri possemus fecisse, etiamsi ulteriorem huius rei explanationem non subiiceremus; propterea, quod rationes, eas inter se comparandi, rite ineundae, tantum non omnibus ex his, quae diximus, per se constent. Attamen, ne hac etiam in re partibus in nos suscepitis defuisse uideamur, paucis

paucis quoque imbecillam eorum, qui sententiae nostrae aduersarii  
 sunt, argumentandi rationem expendemus. Maximo igitur opere  
 et quidem recte defenditur, omnes animi recreations, quae Deo in  
 re hebraeorum publica non improbatae sunt, mentemque et corpus  
 defatigata, uel reficiunt, uel ad alacritatem excitant, et uitio de re-  
 liquo carent, etiam hodie non improbandas, sed *per se*, quicquid sit  
 de *caussis accessoriis*, ipsarumque personarum conditione, de quibus  
 nunc non disputabimus, et proficuas, et subinde, ubi id circumstan-  
 tiae postulant, medicinae instar necessarias esse. Atque haec tenus,  
 neque fallere eos, neque falli arbitramur, qui pari modo de saltatio-  
 num exercitiis sentiunt. Quatenus autem saltationes, prout *hodie*  
*comparatae sunt*, in numero recreationum Deo probatarum habent,  
 non possumus, quin ab eorum sententia nos maxime alienos esse fa-  
 teamur. Quodsi enim rite rationes subducamus, facilimum certe  
 erit, ut priscam saltandi consuetudinem ab ea, quae *hodie* recepta  
 est, differre intelligamus. Commemorabilem eius differentiam non  
 uno, sed diuerso etiam modo, ante oculos nobis clarissime obuersari,  
 etiam me non monente, constat. Primo enim, ut capite praeced.  
 fusius probatum iuimus, ratione modi potissimum habita, eadem  
 differunt a nostris, quod homines, non diuersi, sed eiusdem sexus,  
 choreas una ducere consueuerunt. Deinde etiam singularis quaedam  
 praerogativa sanctitatis illas maximopere commendat; utpote, quas  
 hac potissimum occasione, quum diuino Numini operarentur, maxi-  
 mam partem celebratae sacris in litteris perhibentur. Hunc uero lau-  
 dabilem finem, qui ad maiores identidem progressiones in pietate  
 faciendas referebatur, in choreis more nunc recepto ductis deficere  
 eo minus operose inculcamus, quo magis illud quotidiana quemque  
 experientia condocet. Imo uero neminem facile credo inuentum  
 iri, qui dubitet, uitio contra saepius chorearum, iam usitatarum, seu,  
 ut *hodie* fese res habet, comparatarum, contingere, ut malae cogi-  
 tationes, ex labe nobis connata et multis modis a plerisque confir-  
 mata oriundae, in bonos alioquin innocentesque hominum animos  
 multo uero magis faciliusque in eos, qui *Spiritu Diuino* non ducun-  
 tur, fese tacite insinuant; quas longe facilius est, hospitio excipere,

quam exterminare. Quae causa est, cur in choreas hodiernas adeo uehementer inuehantur, cum nostratum permulti, tum et Reformatae ecclesiae addicti fere omnes, atque inter eos in primis *Rudolphus Gualtherus* in Hom. ad cap. VI. Matth. *Inflammatur, inquiens, libidinis igne concupiscentia, datur scortandi et moechandi occasio, officii et conditionis suae obliuiscuntur, qui mundo mori et Deo uni uiuere debebant: accedunt sermones lascivi, promissiones inconsideratae, amantium obtestationes et periuria, et frequentes rixae et pugnae incidunt, quas non raro caedes miserabiles comitari solent.* Nec est, quod obiiciat aliquis, ista non semper fieri. Fateor enim; at uix unquam saltari dico, quin saltim aliqua fiant eorum, quae modo recensuimus. Et si nihil aliud fiat, certe concupiscentiam carnis et oculorum a Choreis (cum uanitate animi) abesse nemo sanus dixerit. Cum quo consentientes ex Reformatae ecclesiae Theologis, ut nostris etiam plures adducere possemus, si non res ipsa illis, qui contraria forte per abstractiones haud raro, in moralibus praesertim, periculosas, palam obloqueretur, atque hinc cum laruis pugnare frustaneum esse putaremus. Quae, ut tanto plenius intelligantur, conferri iubemus, quae in incomparabili Diff. Vir Excellentissimus atque Celeberrimus DN. Prof. Schuvarzius, Patronus noster et Praeceptor aeternum deuenerandus, ex instituto disputauit de *Abusu Abstractiōnum in moralibus*.

§. II. Certe, cum haec ita sese habeant, nemo non uidet, quam imbecillam argumentandi rationem, qui ab Hebraeorum exemplo nostras saltationes stabiliri putant, sectentur, et quam firmis e contrario nostra sententia nitatur argumentis. Exinde etiam, ut arbitrator, inter omnes constabit, nos neutiquam id operam dare, ut eas omnes omnino e consortione humana tollendas esse censeamus. Et enim, quum omnes hominum actiones tum demum, quando ad legem relatae eidem non respondent, pro malis recte haberi possent; certe etiam choreae, si eas ad leges diuinis sancte moderemur, laudabilibus aequi institutis erunt adscribendae. Faciamus enim, unum sexum separatim ab altero choreis uacare; faciamus, eas ad sanctam Deo laetitiam approbandam institui, ut apud hebraeos id factum est;

facia-

faciamus praeterea, castis etiam cantilenis homines indulgere, et ad gloriam Dei celebrandam se mutuo extimulare: quis, quaeso, adeo mente captus erit, ut easdem *b. e. ita comparatas*, ceu pestem aliquam, fugiendas deprecandasque arbitretur? Omnem eapropter argumentandi uim, quam in ceteros conferunt Chorearum Patroni, facile declinare adeoque citra sententiae suae euersionem ipsi admittere possunt. Quibus nos uulgare illud: *Duo cum faciunt idem, non esse idem*, si modo choreae hodiernae eaedem cum hebraeis dici queant, addimus. Quae denique uerbis *Martini Buceri* obsignamus, qui Lib. II. cap. 53. de regno Christi: *Quoniam ea est humani, inquietis, ingenii imbecillitas, ut seriis rebus et grauibus non semper impendere se possit, sed poscat, sicut somnum ac ceteras quietes, ita etiam quaedam industriae et studiorum utilium laxamenta, uiriumque, cum animi, tum corporis, quandam subleuationem ex iocis et ludis; tum maxime cum grauibus seriisque rebus sit satis factum.* Inprimis uero, quoniam, quaenam inter honestas animi recreationes sint referenda, et, num choreae quoque inter eas locum habeant, disputatur; ea uerba, quae praecedentia illa sequuntur, notanda arbitramur, quando: *His adiungi possunt choreae, pergit, sed puellarum piae choreae seorsim et adolescentum seorsim: et quae ad pura saltentur sanctaque carmina: idque motu casto et tripludio decente pietatem professos: qualiter saltauerunt Miriam soror Mosis et matronae Israel cum transiissent mare rubrum laudesque canerent Deo pro ea tam mirabili gentis suae ab Aegyptiaca seruitute liberatione.* Quibus idem admodum scite denique subiicit: *Cum et nostra adolescentia et iuuentus saltationibus delectetur, quare non instituantur illae et apud nos, quibus coelestis constitit per sanguinem Christi municipatus, ut ex pia sanctaque mentis de Dei bonitate existant exultatione, ad eamque ualeant etiam augendam animosque omnis pietatis studio inflammados.* Plura, quo minus addamus, angustia spatii prohibet. Neque etiam necessarium est, uti arbitror, multa in praesentia, quae in rem nostram conueniunt, ex Pfanneri *Observat. Eccl VII.* excerpere; quum satis hactenus, quid sentiamus, quibus etiam rationibus, luculenter constet.

constet. Ac denique ad summam rei quod attinet, uel ipsi contra-  
ria sentientes, in rebus dubiis aut certe periculis *tutius esse absti-*  
*nere*, quam periculo peccandi sese exponere, aliis uero, ne id faci-  
ant, dissuadere consultum non diffiteantur. Reliquum igitur nihil  
est, quam ut Tibi, Deus T. O. M. pro Tuо nobis auxilio benignis-  
sime praestito decentes habeamus gratias, et, ut porro bonitatem  
Tuam nobis indulgeas, assiduis Te precibus fatigemus, quo in po-  
sterum etiam, et animi, et corporis nostri uires, gloriae Tuae amplifi-  
candae perpetuo sacratas Tibi offeramus.

PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI  
S. P. D.  
PRAESES.

**Q**uemadmodum nunquam non, ex quo familiariter Te uti coepi, Perdilecto  
Dn. Röslere, eas in Te uirtutes animaduerti, quibus, praeter ceteros,  
illorum animos, qui iustum honestae indoli premium statuunt, deuincire  
Tibi poteras: ita maxime, queis plurimos in primis antecellis, bonarum lite-  
raturum uario et quotidiano profectu, morumque probitate perquam laudabili-  
cum modestia insigni coniuncta, me aliosque mei similes in dilectionem Tui pla-  
ne abripuisti. Haec ergo cuncta quando praeſenti hoc eruditioſis ſpecimine, tuo  
ſtudio tuaque industria elaborato, et in lucem nunc dato, confirmas, quidni bre-  
ui hac Epiftola, quae testimonii publici locum habere debeat, magnopere gra-  
tuler? cum, qualis in posterum quoque futurus, et quam egregiam Eccl. diuinio-  
ri operam nauaturus sis, pignoris in modum id ſpondeat. Evidem pluribus ar-  
gumentum hoc, quod tractasti, dilucidari potuifſet, et uel L. Iudith, ubi He-  
roina illa cum foeminis reliquis, oleagina corona redimitis, choream duxiſſe le-  
gitur, materiam subministrasset. Sed quia de ueritate historiae, quantacunque  
fuerit in adſtruenda ea et ad Manass̄is tempora referenda Cl. Montfalconii indu-  
ſtria, reſte dubitasti; narratiunculam illam de reliquo ad mores Iudeorum, et  
ſi forte drama ſit, bene accommodatam, tutius omiſiſti, et in documentis certis  
ſubſttere maluisti. Quae ad summam etiam rei demonſtrandum, incongruentes  
que multorum, ad Iudeorum priſcas choreas prouocationes, eneruandas ſuffici-  
unt. Ego his conatibus Tuis omni laude dignis nihil in praeſentia addo, quam  
pium uotum, quo, abutentibus ad hodiernos mores corruptiſſimos, priſtinis  
inſtitutis, bonam mentem precor, Tibi uero Deum propitium, Patronos fauen-  
tes, laetum rerum omnium ſuccellum et praemia iusta ſincere exopto. Quo uote  
defunctus Te cunctis, iterum iterumque commendo, Tuam uero erga me uolunta-  
tem propensam ut conſerues, expeto, rogo atque contendeo. Scrib.

Altorphi d. X. Decembr. A. S. R. MDCCXXVI.

